

79. Neque verò ullius momenti est Iesuitæ explicatio, hunc sensum verbis hisce affingenti, quod sic prolapsi, non amplius illuminari, hoc est, baptizari debeant. Bellar. T. 1. f. 67.

80. Tametsi enim Baptismum, Illuminationem $\Phi\omega\tau\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$, apud veteres, Augustinum præsertim, dici non ignoramus: hoc tamen loco nullam de iterando Baptismo esse questionem, manifestum est.

81. Neque etiam, uti Novatiani contenderunt, verba hæc de quolibet peccato contra conscientiam admissio, & quantumvis mortali, sunt intelligenda.

82. Sed de Apostasia, eaque non quavis, sed à veritate agnita, quæ deliberato consilio, & obstinatâ malitiâ cum blasphemâ coniunctâ, committitur.

83. Hic enim scopus Apostolo & finis est propositus unice, ut Hebræos hortetur, ne à fide in DEVM, à doctrina baptismatum sive mysteriorum, & Resurrectionis mortuorum, & id genus alijs Christianæ doctrinæ capitibus deficiant, id quod ostendunt versus 1. & 2.

84. Quin ipsa verba in se considerata, manifestè produnt, Apostolum loqui de iis Apostatis, qui prius illuminati gustaverunt donum cœlestæ, participes facti Spiritus sancti, atque sic à veritate agnitâ, non nudè & simpliciter, sed cum blasphemia defecerunt, utpote crucifigentes sibi-

bimet-